

n. 1058; De Becker, p. 69) rectius opinantur hanc regulam esse nimis absolutam, et abductionis notionem quandoque satis verificari posse intra ejusdem domus spatium, praesertim si haec amplissima sit et plurimum familiarum contubernia contineat.

3^o Ut abductio fiat per vim, rapta persona invita seu repugnante. Perinde autem est utrum vis physica adhibeatur an moralis, ut si mulier per fraudes alliciatur in locum in quo jam sub raptoris potestate versetur. Hinc manifestum est nullum haberi raptum quando puella libere tum in abductionem, tum in matrimonium contrahendum consentit.

Controvertitur num impedimentum constituat raptus qui *seductionis* dicitur, et in eo est quod mulier consentiens abducitur, invitae tamen parentibus vel aliis sub quorum potestate versatur. Affirmant plures etiam recentes, ut Aichner (Comp. J. Eccl. § 176), moti praesertim § 19 Inst. de impedimentis pro Austria datae, quacum excipiunt casum quo mulier ante facinus rite desponsata fuit raptori. Nos vero, cum S. Alph. (n. 1107), De Becker (p. 70 seqq.), etc., opinamur ad raptus impedimentum minime sufficere violentiam aliis quam ipsi mulieri raptae illatam. Tridentinum enim voluit consulere libertati matrimonii, ne vid. mulier rapta ex metu consentiret: quae ratio minime urget ubi, consentiente in raptum muliere, dissentiant tantum ii quorum curae subest. Quod autem tractatus de matrimonio vel ipsa sponsalia praecesserint mulieris invitae abductionem, id censemus per se minime obstare quominus verum raptus impedimentum exurgat. (S. Alph. n. 1108) Attamen, in foro externo, ob praecedentes tractatus vel sponsalia, praesumetur mulierem in sui abductionem et matrimonium consensisse, ac proinde nullum adfuisse impedimentum. (1)

4^o Ut mulier abducatur matrimonii ineundi causa: quod e fine mox explicato Conc. Tridentini manifestum fit. Igitur, si mulier ad libidinem explendam abducitur, committetur quidem speciale peccatum raptus, minime vero exurgat impedimentum, etiamsi forte postea, ex parte tum raptoris, tum raptae, superveniat matrimonii ineundi voluntas. Exsurgeret tamen impedimentum si mulier, quae primum ob causam libidinis abducta est, deinde per vim, matrimonii ineundi causa, invita detineretur, cum talis detentio nihil a violenta abductione differat. (Ball. P. n. 1063)

Nihil autem refert ad praesens impedimentum utrum mulier rapta carnaliter cognoscatur necne.

(1) Non videtur dissolvi posse sine recurso ad S. Sedem matrimonium in initum inter raptorem et raptam quae cum raptore validis sponsalibus adstricta esset, neque ulla justa causa ab implenda promissione excusaretur. Nam raptorum poenas in hoc casu non incurri plures non infimi nominis AA. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 3. n. 70; Avanzini, Act. S. S. t. 1. p. 54) opinantur, et S. C. de Prop. Fide 17 Apr. 1784 (Coll. P. F. n. 1418) tamquam practicam normam tradidit.

APPENDIX.

DE MATRIMONIO CIVILI.

508. Matrimonium civile intellegimus, prout fert usus, illum ritum quem hodiernae leges civiles in plerisque Statibus, etiam catholicis, a nupturientibus servari jubent ut legitimi conjugii jura assequantur: qui ritus summam in eo est quod sponsus et sponsa coram civili magistratu comparent voluntatem suam matrimonii ineundi declaraturi.

In hujusmodi institutione nihil pravi foret si Status sponso hunc tantum in finem comparere juberet ut matrimonii a se, juxta canonicas leges, contracti vel contrahendi authenticam notitiam magistratui darent: qua notitia data, jura legitima tribuerentur matrimoniis canonicis validis, denegarentur ceteris. Verum ex plerisque Codicibus hodiernis, speciatim e Napoleonico, luce clarius est legislatorem, spreto matrimonio canonico, quasi mera caerimonia religiosa foret, jugiter de matrimonio civili tamquam de legitima viri et mulieris conjunctione loqui et disponere. Quam contraria sit hujusmodi legislatio sanctissimis Ecclesiae juribus et RR. PP. oraculis, videsis apud Dogmaticos vel Canonistas. Nos, quod theologiae moralis proprium est, breviter declarabimus quatenam officia e matrimonio civili, prout communiter viget, incumbant tum nupturientibus, tum aliis in eodem ritu partem habentibus, vid. magistratui et testibus.

I. Fideles civile matrimonium contrahentes nihil aliud intendere possunt quam civilem caerimonia peragere, qua matrimonio a se contrahendo vel contracto temporales legitimi conjugii effectus concilient. Quodsi verum matrimonium coram magistratu civili inire intenderent, graviter peccarent (nisi forte ea forent adjuncta in quibus matrimonia clandestina licerent); matrimonium autem invalidum vel validum foret, prout ita clandestine contrahentes decreto *Tametsi* subjecti vel ab eodem immunes forent. (n. 501 seqq.) Igitur in matrimonio mere civili perseverantes, ubi praefatum decretum viget, habendi sunt ut in turpi concubinato viventes (Instr. S. Poenit. 15 Jan. 1886; Coll. P. F. n. 1406) et publici peccatores. Quare eorum filii habendi sunt ut illegitimi; matri post partum benedictio dari nequit, ne videatur foveri concubinitus (D'Annib. III. n. 467. nota 1); neuter ad sacramenta admitti potest, donec vel ab invicem separentur, vel in forma canonica contrahant.

II. Matrimonium civile cum praedicta intentione peragere non tantum possunt, sed regulariter etiam debent qui coram Ecclesia verum matrimonium contraxerunt. Etenim, cum plerique Status solis civiliter nuptis legitimi conubii jura agnoscant, gravibus incommodis tum se, tum quos suscepturi sint liberos exponunt, qui Legi civili non paruerint: quare, ne se ipsos impares faciant implendis obligationibus quae e statu matrimoniali oriuntur, tenentur ab hujusmodi incommodis cavere. Haec obligatio natura sua gravis est; quandoque tamen levis vel nulla fieri poterit, si levia tantum vel nulla damna ex ommissa civili caerimonia oriri posse videantur.

Isdem de causis parochi nequeunt assistere matrimonio eorum qui lege civili a matrimonio ineundo prohibentur, nisi episcopus consensum dederit. Ita a S. Poenit. (Instr. cit.) pro Italia statutum est et etiam alibi ab episcopis plerisque servari jubetur. Immo, quamvis regulariter matrimonio civili praeire deberet matrimonium canonicum, quandoque vetant Ordinarii (Stat. Mechl. n. 302) ne sacerdotes, ad quos pertinet, ulli matrimonio intersint, nondum impletis formis civilibus, nisi necessitas urgeat vel Officialis episcopi consultus fuerit. Hujus tamen prohibitionis ratio unica est ne temere incurrantur poenae quas lex civilis, hunc ordinem servari praecipiens, comminatur.

III. Regulariter magistratus et testes matrimonio civili interesse, illaesa conscientia possunt, ut e rei natura et decretis Ecclesiae, hanc caerimoniae fidelibus permittentis, evidenter patet.

Dubium moveri potest tantum de casu quo magistratus vel testes sciunt fideles vel matrimonium christianum, ob perversam voluntatem, contracturos non esse, vel ejusdem contrahendi incapaces esse ob impedimentum canonicum. Seposito casu quo obstet impedimentum ligaminis vel aliud a quo Ecclesia dispensare nequeat vel nolit (de quibus n. 562. III), sententiam practice tutam opinamur cum Gasp. (n. 1230), Sauti (in Decr. l. 4. t. 3. n. 55 seqq.), etc., hanc cooperationem cum peccato nupturientium licitam esse, dummodo scandalum absit vel prudenter removeatur, et urgeat ratio gravis, puta pro magistratu timor amittendi officii vel alius damni notabilis. Pro testibus rarius aderit gravis ratio quae hanc cooperationem cohonestet; sed eos etiam quandoque excusabit timor gravis offensae propinquorum, spes civiliter conjunctos postea adducendi ad matrimonium in facie Ecclesiae celebrandum, et similia, praesertim in magnis civitatibus, ubi matrimonia mere civilia saepius fiunt et parum animos commovent. Addunt cit. AA. magistratum, in casu impedimenti notorii, teneri ad commonendos nupturientes de nullitate actus quem posituri sint: sed, cum ad inutilem monitionem nemo teneatur, saepe ab ea excusabit obdurata nupturientium malitia.

§ 3. DE IMPEDIMENTIS MERE IMPEDIENTIBUS.

509. Impedimentorum mere impedientium numerus multo major erat sub antiqua quam sub praesenti disciplina. Plurima enim quae sub Jure Decretalium vigeant, consuetudo sustulit. Neque ipsi hodierni scriptores in recensendis impedimentis vigentibus concordantes sunt. Verum hujusmodi discrepantia parum ad praxim facit, cum satis inter omnes conveniat quid matrimonium illicitum reddat, et disputetur tantum num quaedam inter vera impedimenta sint numeranda, ex. gr. defectus status gratiae, rationabilis dissensus parentum, etc. Quaestio igitur nominis potius quam rei est. Ad scopum nostrum, qui praesertim practicus est, visum est hic tamquam impedimenta mere impedientia recensere et explicare: 1° Ecclesiae vetitum. — 2° Tempus feriatum. — 3° Votum simplex. — 4° Rationabilem dissensum parentum. — 5° Mixtam religionem.

De sponsalibus, quae impedimentis hujusmodi ab omnibus adnumerantur, dictum est supra. (n. 445) Actum est etiam de omissione proclamationum (n. 448), de ignorantia doctrinae christianae (n. 454. II), et de clandestina celebratione matrimonii, ubi Decretum Trid. non viget (n. 495): quae communiter iisdem impedimentis accensentur.

I. IMPEDIMENTUM ECCLESIAE VETITI.

510. I. Ecclesiae vetitum hic intellegitur specialis prohibitio qua matrimonium auctoritate ecclesiastica quibusdam personis, ex causa legitima, redditur illicitum. (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 16. n. 1)

Causae ob quas matrimonium ita interdicti possit, sunt praecipue tres:

- 1° Sponsalia quae ab una parte, matrimonium appetente, antea inita fuerint cum tertia persona.
- 2° Fundata suspicio latentis impedimenti, praesertim dirimentis.
- 3° Gravia mala, ut rixae, scandala, etc., quae e futuro matrimonio timentur.

II. Jus hujusmodi prohibitionem faciendi competit:

- 1° Romano Pontifici, qui matrimonium inter determinatas personas etiam irritum facere potest. Attamen, nisi adjiciatur clausula irritans, prohibitio ab eo lata censenda est reddere matrimonium illicitum, non autem invalidum. Mere prohibens solet esse vetitum, quod nonnumquam alicui parti, ex. gr. dubie impotenti, fieri solet a sacris Congreg. Romanis, ineundi novas nuptias sine venia S. Sedis.

2º Ordinario, qui potest et quandoque, pro munere suo, debet impedire ne contrahantur nuptiae, quae magnis scandalis occasionem praebiturae essent.

3º Parocho contrahentium, qui, ex causis supra relatis, praesertim si impedimentum matrimonio opponatur, extra-judicialiter prohibere potest et debet ne contrahatur donec Ordinarius causam diremerit. (Schmalzgr. l. c. n. 5)

Quodsi parochus, una cum impedimento, norit nupturientes obtinuisse dispensationem pro foro conscientiae, poterit dissimulare et nupturientes conjungere. Si vero ab aliis fuerit denuntiatum impedimentum, res ad Ordinarii judicium deferenda erit. (Schmalzgr. l. c. t. 3. n. 66 seqq.)

III. Graviter peccat qui contra Ecclesiae vetitum matrimonium init, siquidem liquet agi de materia gravi. Leve tamen foret peccatum, si quando interdictum ferretur ad tempus ex causa levi, vel si sponsis certo constaret non subsistere causam ob quam matrimonium ipsis prohibitum sit. (Sanch. l. 7. d. 17. n. 1; S. Alph. n. 982)

II. IMPEDIMENTUM TEMPORIS FERIATI.

511. I. Jure universalis Ecclesiae, a Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 10) confirmato, sollemnitates nuptiarum, non autem contractus matrimonialis, prohibentur tempore quod *feriatum* seu *clausum* dici solet, vid. ab Adventu usque in diem Epiphaniae, et a Fer. IVª Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive.

Sollemnitatum nomine imprimis venit sollemnis benedictio adnexa Missae *pro sponso et sponsa*. (n. 464) Quare graviter peccaret parochus qui eam tempore feriato daret, neque ipse episcopus facultatem eam impertiendi concedere potest. Comprehenditur quoque sollemnis traductio sponsae in domum sponsi; probabilius sub levi tantum, nisi excessus sit magnus (S. Alph. n. 983), quod, pro moribus hodie receptis, vix contingere possit. Non prohibetur vero quominus matrimonium solito ritu contrahatur et, durante feriato tempore, consummetur.

II. Jure speciali multarum regionum, ex. gr. Belgii, tempore clauso prohibetur ipsa nuptiarum celebratio, nisi episcopi venia accesserit. Hanc prohibitionem servandam esse, pluries S. Sedes declaravit (cfr. resp. S. C. R. 25 Sept. 1875, Act. S. S. t. 12. p. 603); eam violare per se grave foret.

III. IMPEDIMENTUM VOTI SIMPLICIS.

512. I. Matrimonium impediunt votum simplex castitatis sive privatum, sive in Ordine vel Congregatione religiosa emissum; — votum virginitatis; — votum non nubendi; — votum ingrediendae Religionis; — votum suscipiendi ordinis sacri.

Ratio manifesta est in tribus ultimis: nam matrimonium inire directe adversatur voto non nubendi et inducit statum impossibilem cum ingressu in Religionem vel susceptione sacri ordinis. Dubium esse posset de voto castitatis vel virginitatis, quibus directe adversatur tantum consummatio matrimonii. Sed si altera pars votum compartis ignoraret, certe ei fieret injuria; si vero uterque conveniret de omittenda matrimonii consummatione, maneret tamen grave periculum violandi voti, ac proinde illicitae forent nuptiae, nisi in casu quodam, qui vix occurreret, hujusmodi periculum omnino remotum foret.

Si dubium foret utrum emissum esset votum castitatis, an virginitatis an tantum non nubendi, prudenter investiganda esset intentio votantis: quae magis attendenda esset quam verba adhibita. Sic, si quis vovisset virginitatem, facile contingere posset eum nihil aliud intendisse quam abstinentiam a matrimonio contrahendo: quamquam, usu theologico, virginitas re non differt a perfecta castitate. (Vol. I. n. 252)

II. Episcopi, potestate ordinaria, dispensare nequeunt in votis castitatis perfectae et religionis ingrediendae. (Vol. I. n. 329) Attamen, urgente necessitate et periculo incontinentiae, possunt dispensare in voto castitatis ad matrimonium ineundum. Insuper dispensare possunt in voto castitatis a conjugate emisso post initum et consummatum matrimonium, vel etiam ante consummationem matrimonii, sed absque animo ingrediendi religionem: siquidem inde non oritur obligatio omnimodae castitatis, cum maneat obligatio reddendi debiti. Sed R. P. reservatur votum castitatis a conjugibus mutuo consensu emissum: de quo tamen cfr. Vol. I. n. 325. Tandem in voto castitatis emisso ante matrimonium, episcopi dispensare possunt post contractum matrimonium ad petendum debitum, cum periculum sit in mora. (S. Alph. n. 986 seqq.)

Facultates episcoporum, saltem probabiliter, competunt etiam confessoribus Regularibus Ordinum Mendicantium, et eorum qui Mendicantium privilegiis communicant: quatenus singulorum Ordinum leges id permittunt. Nam, juxta communem DD. sententiam (S. Alph. n. 987), Regulares illi, vi privilegiorum suorum, dispensare possunt in omnibus votis in quibus episcopi, jure ordinario, dispensare possunt. Cfr. Vol. I. n. 328. Multi quidem tenent in primo e tribus casibus allegatis episcopum non dispensare jure ordinario (S. Alph. n. 1128); sed alii rectius

etiam hanc facultatem *ordinariam* censent in vero sensu hic adhibendo, seu quatenus adnexa est episcopali officio. (Ball. P. n. 1413)

513. QUAER. Quae sint obligationes eorum qui, post unum e votis supradictis, illicite matrimonium contrahant.

RESP. 1° Qui matrimonium iniiit ligatus **voto castitatis**, votum suum observare debet quatenus id fieri potest sine compartis praeiudicio. Hinc debitum reddere potest, petere prohibetur. Neque hic, cum quibusdam AA. (Ball. P. n. 877, etc.), dicendum: eum primo bimestri etiam a debito reddendo prohiberi, quia tunc altera pars non habet jus exigendi. (n. 555. II) Nam, cum ipse non teneatur ad religionem ingrediendam, bimestre autem illud probabilius concedatur iis tantum qui de ea ingredienda deliberent, rectius dicitur ab initio obligari ad debitum reddendum. (Feye, op. cit. n. 559) Sed, quoniam e conjugali cohabitatione iuge periculum castitati servandae imminet, consulendum esset ut quamprimum peteretur dispensatio. Ab hujus tenore pendebit solutio quaestionis: utrum, mortuo altero conjuge, novas nuptias inire possit an votum servare debeat.

2° Qui matrimonium iniiit ligatus **voto virginitatis**, tenetur a debito petendo abstinere donec, amissa virginitate, sive per copulam, sive per voluntariam pollutionem, voti exsecutio impossibilis evaserit. Hic tamen supponimus voventis intentionem fuisse ut se obligaret ad vitandum quidquid sive intra, sive extra matrimonii usum ipsi auferret illam corporis integritatem, quae communiter virginitas dicitur et primo actu venereo consummato irreparabiliter amittitur. Cfr. Vol I. n. 252.

3° Qui matrimonium iniiit ligatus **voto non nubendi**, nullam jam habet obligationem e voto: quippe quod factum sit impossibile, saltem stante matrimonio.

4° Qui matrimonium iniiit ligatus **voto ingrediendi Religionem**, tenetur ad eam ingrediendam quamdiu matrimonium non consummavit: hoc enim, quamdiu ratum tantum est, professione religiosa solvi potest. Igitur graviter peccat cum prima vice petit vel reddit debitum. Sed postquam semel matrimonium consummavit, petere et reddere potest: siquidem voti exsecutio jam non est in ejus potestate. Attamen, si libertatem suam recuperat, puta per compartis consensum, mortem, adulterium, neque dispensationem obtinuit, iterum ad votum implendum tenetur. (Feye, n. 560)

5° Qui matrimonium iniiit ligatus **voto suscipiendi ss. ordines**, probabilius non debet abstinere a debito petendo: cessante enim obligatione principali, quae facta est impossibilis, cessat et secundaria, nempe servandi castitatem. Attamen, recuperata libertate, servandum

esset votum, ut supra de voto ingrediendi Religionem dictum est. (Feye, n. 561)

IV. IMPEDIMENTUM RATIONABILIS PARENTUM DISSENSUS.

514. I. Consensus parentum non est elementum necessarium valori matrimonii. Liqueat e Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 1), quod anathemate feriit eos " qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Idem a fortiori eruitur ex iis quae infra dicemus (III): nam si parentes matrimonium liberis prohibere nequeunt, multo minus idem irritare possunt.

II. Per se graviter peccant liberi qui matrimonium vel sponsalia contrahunt, insciis vel non consultis parentibus. Idem enim per se gravem offensam infert parentibus, merito conquesturis se contemni a liberis, qui eos nequaquam consulant in re gravissima et cujus multae sequelae, ex gr. ob contractam affinitatem, ob temporalia bona sponsis necessaria, ob honorem familiae plurimum e nuptiis pendentem, in ipsos parentes redundabunt.

Quandoque tamen omissio petendi consensus levem tantum culpam constituet, vel omni culpa vacabit. (Ball. P. n. 193) Sic:

1° Nulla culpa erit si justae adsunt causae ob quas parentes non consulantur, puta quia ipsi merito timentur sponsalia vel matrimonium injuste impedituri, si consensus peteretur.

2° Neque erit culpa si clam contrahantur sponsalia e quibus nulla parentum offensio timeatur, cum intentione consensum in has nuptias postea opportuniori tempore obtinendi; a fortiori, si contrahantur sponsalia sub condicione consensus parentum.

3° Levis tantum culpa fiet si ex adjunctis colligitur omissam consensus petitionem levi tantum offensionem vel dolori parentibus fore, puta quia parentes parum solliciti sunt quid a liberis suis agatur, quia filius jam diu a domo paterna recessit vel ad statum multo altiore ascendit, etc. Attamen raro aberit peccatum grave si liberi, nullam injustam oppositionem metuentes, ne notitiam quidem matrimonii contrahendi parentibus dent: talis enim omissio vix non ab omnibus parentibus haberetur tamquam contemptus vel aversionis signum.

515. III. Liberi non tenentur oboedire parentibus de matrimonio contrahendo: nam in his quae pertinent ad proles generationem omnes homines sunt natura pares, ac proinde in tali materia nemini subduntur. Insuper, cum per matrimonium homo perpetuae servituti subdatur, recta